

† Pl. R. P. Mathias Meier.

(Vice-prov. Argentin.).

P. Mathias Meier die 25 ianuarii a. 1864 piis honestisque parentibus natus est in Wadern Eifliae, dioecesis Trevirensis. Ibi scholam primariae institutionis causa adiit et, cum sacerdotii desiderio teneretur, a sacerdote quodam in patrio vico linguae latinae elementa privatum edoctus est.



Cum anno 1880 iuvenatus provinciae Germaniae inferioris prope Vaals conderetur, Mathias adulescens primus in eum alumnus cooperatus est, ita ut omnium, qui postea ex illo iuvenatu processerunt, Redemptoristarum merito signifer habeatur. Noviciatu in domo nostra Epternacensi rite peracto die 15 octobris a. 1885 vota in Congregatione nostra professus est. In studia philosophica ac theologica Lucemburgi

sollerter incubuit. Hic iam addere iuvat eum semper toto vitae tempore litterarum amantissimum fuisse. Grammaticam et graecam et hebraicam frequenti manu versabat, S. Scripturae libros in textu originario legere solitus est. Inter libellos, quos moriens scriptos reliquit, haud pauca sive graece sive hebraice conscripta inveniuntur.

Die 24 aprilis a. 1892 sacris initiatus est ac die sequenti ad altare B. M. V. in ecclesia nostra Lucemburgensi primam missam litavit.

Animam bonam ac nobilem sortitus maiores in vinea Domini labores appetivit. Quapropter sponte se superioribus obtulit, ut in longinquas missiones mitteretur, ac voti compos factus eodem, quo sacerdos factus est, anno (1892) mare traiecit ac Bonas Auras appulit.

Domui Saltensi deputatus plurimum ibi in sacris missionibus desudavit. Missiones illae in provinciis septentrionalibus vastissimae rei publicae Argentinae inter omnes difficillimae laboribusque omnigenis onustae sunt. Itinera per complures dies equo vel mulo facienda, montes altissimi atque praerupti et praecipitia frequentia superanda, cibus parcus ac vialis, animae maxime derelictae ac religionis ignarae, haec sufficient ad missiones illas, in quibus P. Mathias plurimum laboravit, depingendas. In eisdem contracto morbo ex intestinis laborare coepit, qui morbus eum paulatim ad mortem deduxit. In commentariis eius missiones 141, exercitia 69, novenae 22 numerantur.

P. Meier, cum prudentia ac virtute solida praeditus esset, dignus habitus est, qui per multos annos superioris munera obiret. Rector fuit Saltae ab anno 1901 ad 1904, Bonis Auris ab a. 1904 ad 1909, Rosarii ab a. 1912 ad 1919. Demum anno 1919 Superior vice-provinciae creatus est, quo munere post annos quinque laboriosissimos mors eum solvit. Anno 1921 capitulo generali Romae celebrato vocalis a fratribus electus interfuit. Etiam extra Congregationem nostram quanta aestimatione frutus sit, ex eo luculenter appareat, quod bis a S. Sede nominatus est visitator apostolicus, anno 1922 dioecesis Saltensis, anno vero 1923 in dioecesi Tucumanensi. Quam digne hoc munus suum obiverit, e verbis colligi potest, quae Mons. Silvani, auditor Nuntiaturae apostolicae Bonis Auris eo mortuo testatus est: « Hominem magis insignem ego in republica Argentina non cognovi ».

Sed haec de vitae eius curriculo dixisse sufficiat; pauca addamus de moribus. P. Meier homo fuit simplex ac rectus, qui sincere egit cum omnibus. Quamquam primo intuitu aliquando severior videbatur, tamen nemo non intellexit cor eius esse bonitate plenum. Memor dicti apostolici « Pietas ad omnia utilis est » vitam interiorem semper apprime coluit, ut ex propositis ceterisque commentariis eius spiritualibus manifeste eruitur. Mortem vicinam sibi iam praesensisse videtur. In commentariis enim suis haec scripsit: « 1923: In peregrinatio S. Barbarae confessionem generalem institui eo fine, ut melius dispositus gratiam bene moriendi expeterem, quam per merita Iesu Christi et per intercessionem matris meae Mariae impetraturum me esse confido ».

Ingravescente morbo, cum medicus operationem chirurgicam necessariam esse declarasset, P. Meier tres dies petivit, ut se ad « quemlibet eventum » praepararet. Hoc triduo et confessionem generalem summa diligentia instituit et res omnes ad munus suum pertinentes diligentissime ordinavit. Ipsa etiam chronica vice-provinciae usque ad medici declara-

tionem, de qua diximus, et ad vicarii in suo munere institutionem fortiter perduxit. Primo post operationem die, cum periculum augesceret, extremae unctionis sacramento rite munitus est. Cum Pater quidam ad eum dixisset: « Venio, Pater, ut orem Tecum », ipse respondit: « Ego semper oro ». Die 15 martii a. 1924 pie in Domino obdormivit, annos natus 60. In funere eius apparuit, quanti omnes eum fecissent. Nec dubitamus, quin verba divini Redemptoris consolatione plena audire meuerit: « Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui ».